



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXVII. Falsa amicitia, sub qua Christus est venditus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

tribulatus; quàm vivere juxta meam, qui sum infelix, cæcus, pauper, pavidus & perditus; unico momento, quo monstras unum è radiis tuis, omnia fiunt dulcia, & sapida; & quæ videbatur via distorta, apparet postmodum rectissima & securissima. Ergo mi Domine, si mihi non expedit esse lætum semper, & in consolatione, arripe hanc debilitatem meam ad rationes tuas, & me tracta, ut lubet, & in omni re tene me sub manu tua: & si me obtinueris, fac purè ac simpliciter voluntatem tuam, non meam.

O sacratissima DEI Mater, & obedientissima ancilla ejus! quæ etiam in hoc ipso tempore offerebas & resignabas te Patri æterno, ad eundem cum ejus ac tuo Filio ac Domino, & pariendum cum ipso; quia noveras jam instare tempus Passionis ejus, & intelligebas, hanc esse divinam ejus voluntatem: ac licet non mediocriter tantùm sentires, nihilominus tamen offerebas te ad id genus ærumnæ. Imprime, Domina mea! hanc veritatem animæ meæ: corrobora voluntatem meam, ut semper insistat hanc viam, & nihil unquam velit, nisi quod Filius tuus de me statuerit. Aufer à me omnem aliam voluntatem, & omne humanum desiderium; quando hæc sola via est placendi DEO meo, ac Domino meo. O Angeli, & Sancti, purissimi & lucidissimi spiritus! juvate me, & impetrate mihi ab hoc Domino, ut non mea, sed sua divina voluntas perfectè impleatur in hac miserabili terra, sicut eam vos facitis in cælo. Amen.

ÆRUMNA XXVII.

Falsa amicitia, sub qua Christus est
venditus.

I.

*Malum
grave falsi
amici.*



Dum Christus post ultimam Cœnam discipulis traderet doctrinam cœlestem, prolixo, ac teneri affectûs pleno sermone, & oraret, sudaretque in horto; ejus falsus amicus fuit sollicitus de exequendo proditiōis consilio. Placuit Domino nostro experiri hoc genus ærumnæ ab eo, qui ipsi obligatissimus erat: & cùm non posset, neque deceret ipsum pati omnia malorum genera, elegit

elegit ea, quibus humanum cor solet magis affligi; cujusmodi est falsa amicitia, & proditio; quæ, quàm sit gravis, non capiet is, qui tam est agrestis, ut nesciat habere vel conservare amicos, aut eos curare; quod est magis bestię, quàm hominis culti. At sacra Scriptura inter summa bona ponit fidelem amicum. *Amicus fidelis*, inquit, *protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum.* *Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti, contra bonitatem fidei illius.* Ac proinde pro magna calamitate habet amicitiam falsam, præsertim, si prælabatur ad publicam ignominiam, & infamiam, prodendo arcana, & agendo aliquid in præjudicium amici: quod sapiens valde exaggerat, nec immeritò. Nam quia amicus est alter ego, cui omnia mea secreta committo, & communico, quidquid jucundum vel molestum accidit mihi, quasi esset altera mea persona, & anima mea habitaret in illo; si fœdus ineat cum hostibus meis, & iis, quæ de me novit, abutatur in meam perniciem, amicitiam meam in venenum convertens; hoc, si aliquandiu possit dissimulari, tamen æquo animo tolerare non est, nisi specialis ac potentis gratiæ DEI. Quia hoc genus mali tam est adversum naturæ, ut pro non exiguo miraculo sit habendum, si cor humanum id patientiâ perfectâ sustineat. Non desunt magni Doctores, qui de hoc genere ærumnæ loqui censeant Apostolum, quando scribit: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanae, qui me colaphizet: falsos fratres intelligens, à quibus, tanquam submissis à diabolo, vexabatur, dum ejus doctrinam impugnarent, ejus auctoritatem evertere nitentes, à quo fidem Christianam erant edocti; quam persecutionem ita sentiebat, ut instanter à DEO contenderit liberari ab illa: plus tamen non obtinuit, quàm promissionem gratiæ ad sufferendum.*

Eccli. 6.14.

2. Cor. 12.

7.

Qualis eras
iudas pro-
ditor.

II. Christus Dominus noster hæc in parte passus est, quantum nullus mortalium. Omitto nunc falsitatem Phariseorum, cum illum invicarent ad mensam, honorarent, laudarent in faciem ficto animo, & insidiando dictis, actionibus, & vitæ ipsius; licet vicissim ab eo multum favoris & beneficiorum haberent. Sed quod inter duodecim, quos pro columnis Ecclesiæ suæ elegerat,

R r 3

multis

multis gratiis ornarat, & velut amicos fecerat arcanorum suorum participes; quod, inquam, inter eos fuerit unus, qui eum venderet hostibus, hoc considerandum est. Cœperat ante paucos dies, cum Domini caput Magdalena pretioso unguento perfunderet, murmurare palam, quod non potius pretium unguenti distribueretur pauperibus: non tam horum studio, quam avaritiæ suæ:

Ioan. 12. 6. quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.
Ergo, ut lucrum, quod ex pretio unguenti effusi perdidit, refarciret, Dominum ipsum hostibus, in omnem ejus capiendi ac perdendi occasionem intentis, perfidus vendere statuit; sive postea Dominus miraculo se ab illis liberaret, sive interiret, non curans; modo suæ crumenæ foret consultum. Et credi potest, nebulonem Judæis multa mala dixisse de Christo; ut, quod commendans contemptum divitiarum & mundi, accederet mensas divitum, pretiosis unguentis uteretur, manducaret cum inimicis illorum, imò etiam cum improbis; & alia, quæ homini jam pertæso familiaritatis cum ipso, dictabat mens improba, & sensui Judæorum conformia & accepta: pollicendo simul, se illis optimâ occasione traditurum eum in manus, cum solus, & sine multitudine ipsum sequi solita, posset inveniri. Collaudant illi studium hominis pro bono communi, & honore divino: stipulantur triginta argenteos, si rem perfecit, juxta illud Prophetæ: *Appenderunt mer-*

Zach. 11. 12. sedem meam triginta argenteos, pretium, quo appretiatum sum ab eis.

*Christo mor-
bissimus.* III. Peracto venditionis contractu, perfidus monet illos, parati sint; non tamen se moveant prius, quam ad eos ipse redierit. Destinarat ipse flagitio tempus & locum, quo Dominum sciebat frequenter orare, sine turbis eum sequentium. Ergo discumbit cum illo; cumque Dominus diceret, illâ se nocte ab uno ex duodecim traditum iri, impudentissimus audet cum aliis interrogare, an ipse sit, suæ sibi nequitiae conscius. Tum permittit sibi cum aliis à Christo lavari sceleratissimos pedes; audit doctrinam è divino ejus ore caelestem; recipit ore polluto sanctissimum Sacramentum, ac dignitatem sacerdotalem; in omni hoc tantorum beneficiorum genere par aliis habitus à mitissimo agno. Cumque nihil horum cor ejus ferreum permoveret, Dominus moram suæ
Passionis

Passionis jam inutilem non ferens, hortatur, ut abeat: *Quod facis*, inquit, *fac citius*: condiscipulis opinantibus eum aliquò mitti eleemosynæ ferendæ causâ: at ipse impiger abit ad executionem pestilentis propositi. Quantum autem Christus senserit hanc perfidiam discipuli, David à filio suo similia patiens, in figurâ Domini, verbis expressit valde patheticis. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanims, Dux meus, & notus meus, qui mecum simul dulces capiebas cibos; in domo DEI ambulavimus cum consensu.* Denique satis est, quòd Christus, qui acerbissimos cruciatus pertulit cum summo & admirabili silentio, dolorem tamen hunc minimè dissimulaverit, apud discipulos, & ipsum quoque Judam conquerendo.

IV. Ab hâc falsâ amicitia dignatus est Christus ærumnas Passionis ordiri; quæ feriit cor ejus, & iusto dolore affecit: in eâ dedit mira exempla mansuetudinis ac patientiæ. Utinam autem solum Judam habuisset proditorem ac falsum amicum! sed eheu! nimis quàm multos ejus sodales habet in mundo. Quot enim hodie Christum venundamus, & ejus beneficia vilissimo pretio deliciarum & existimationis mundanæ commutamus, illis nos mancipiantes in ejus injuriam? & licet hæc jam illi dolere non possint; dolière tamen jam tum, quando proditus à Judâ, habebat animo præsentia, & videbat, quot falsos fratres habiturus esset in Ecclesia, pro quibus ibat ac tradebatur in mortem. Ejus amicitia semper durat; & infidelitas nostra procedit crescitque in dies. Quod si non ita est, examinet quisque seipsum, quando tam studiosus fuerit honoris divini, ut pro illo vel apicem dimiserit honoris mundani: quando pro amicitia hujus Domini fastidium ceperit cogitationis vel gustûs terreni: quando non expleverit voluntatem suam, ut esset Christo fidelis? Equidem credo, si verè nossemus nos ipsos, tantum in nobis esse de Judâ, ut non minùs habeamus queri de nobis, quàm de illo. Jam si addamus, quoties cum his peccatis ingressi templum, è genibus eum salutemus, vocando Patrem, Amicum, Dominum; cum simus alienissimi ab ejus amicitia, cum quo agimus apud altare, & in domo ejus, tanquam

tanquam ipsi familiares, interim pacta contra ipsum, ac legem & amicitiam ipsius ineuntes cum diabolo, carne & mundo: non est dubium, Christo majorem causam esse querendi de tot falsis amicis, à quibus plures prodiciones fiunt, quàm ab impio Judà.

Quales etiam experiuntur fratri Christi: quos animas suo exemplo.

V. Sed & magnam fidelium amicorum suorum rationem habuit Christus, dum hoc genus ærumnæ suscepit: vidit enim, quantum patiantur à falsis amicis, quicumque sincerè volunt Deo servire: habentur enim pro molestis, pro hypocritis; singularitatis notantur, observantur in eis aliqua minutia; quidquid agunt, malè accipitur; zelus eorum judicatur passio & imprudentia: fuga divinæ offensæ censeretur odium aut inurbanitas: omnia denique vertuntur eis in malum; & impugnantur suâ propriâ virtute. Ista quanti consent probis, experiuntur ipsi; ac novit DEUS, qui videt, quantum in hac re sufferendâ indigeant suo auxilio: neque enim hic juvat humanum solatium; quia cum simplicitate incedunt, neque modum quærunt se defendendi, neque industriam hæc impediendi, quæ perferunt: sed cum charitate student illuminare & convertere suos adversarios. Interim hi omnia conantur vertere in venenum, & eis nocere, semper superiores, semper succumbentibus innocentibus, dum tacent & conflagrant afflictione continuâ. Hic videbat suos amicos Christus, monstrando eis exemplo suo, hanc esse veram viam vincendi & effugiendi omnem humanam amicitiam, totum affectum collocando in eo, in quo omnes amici & inimici purè ac sincerè amantur, & à quo falsi amici cum patientiâ tolerantur: & quisquis hæc suscipit & amplectitur, veluti missa ab unico & verò amico; hic in eo recreatur, consolationem habet, & securè confidit.

EXERCITIUM

De falsa Amicitia.

Ob istud in vitam regnum. **V** Olustine, amor cordis mei, spes mea, & vita animæ meæ! experiri etiam, quàm grave sit habere falsum amicum, & proditorem tam spurcum, qualis fuit Judas? & eum quidem adhibuisti mensæ, ut recipiat favores tuos, & audiat sermones divinos, tanquam sincerus amicus, cum jam haberet cor plenum felle ma-

le malitiæ, & constituisset te tradere tuis inimicis, quibus te venderat, intentus occasione exequendi ferum propositum! O Divina Sapiencia, quam non latebat cor proditoris istius; quomodo sustinuisi eum aspicere bono vultu inter cæteros Apostolos, te sincerè amantes? Lavas ei pedes, confers dignitatem Sacerdotalem, porrigis ei sacratissimum tuum Corpus & Sanguinem, & ne confundatur, tegis ejus malitiam. Talis es tu, bone Jesu! & talis est amicitia tua, quæ ex tua parte nunquam deficit. Suffers prodiciones, semper desideras & quæris reconciliari animabus, delinendo eas amore, emolliendo beneficiis; & gratiâ tuâ conaris frangere earum duritiem. Ecquid habes tandem ab amicitia nostra, Domine, ut etiam proditores admittas? Sed hæc, mi bone Jesu! proprietas est amoris tui, ut nunquam retrocedat, sed maneat semper constans, etiam quando te fugimus.

II. O Gloria & beatitudo mea! cum tu solus merearis ^{Mirum est,} amari à nobis, voluisti mihi ostendere tuum amorem erga me, sub- ^{ullum posse} eundo tam gravem ærumnam falsæ amicitia; ut, cum debilis mea ^{in Domini} natura se invenit in simili, te habeat socium rei tam acerbæ: ad ^{proditi-} hoc te amor compellit. Sed etsi tu pati hoc velis, Domine; quo- ^{nem dela-} modo cor humanum, quod unquam tecum egit, te audivit, & à ^{bi.} te tanta bona accepit; quomodo, inquam, potest in talem prodicionem prolabi, ut fideliter tecum non agat? Conversatio tua capit animas, amor tuus rapit corda, exemplum tuum corrigit errores vitæ, sermo tuus docet omnem veritatem, suavitas tua medetur omni necessitati, humanitas tua levat omnem tristitiam: nihil habes, quod sit notius, quàm liberalitas, veritas, & fidelitas amoris tui: & nihilominus tamen, ô spes mea! invenitur cor humanum, quod infideliter tecum agit, ac proditorie! ô quàm te hoc affligere debuit, cum tam sincerum amatorem pecuniâ vendidit tuis inimicis, ut satisfaciât eorum desiderio te perimendi!

III. O fidelis amice, & refugium hujus animæ! Nemo ^{Nemo ta-} securus est, nisi, qui arctè tibi conjunctus est: & quò majora sunt ^{men ab hoc} dona à te profecta, eò gravior & periculosior casus est animæ, quæ ^{malo secun-} recedit à te. Quomodo ergo meipsum non timeam? & quo- ^{rus.} modo non semper altâ voce misericordiam tuam inclamo, cum
 video

video me circumdatum naturâ tam corruptâ , è quâ nasci potuit tanta ingratitude & fidelitas erga te ? ô bonitas infinita ! potente manu tua me sustine. Si dæmon è tuis, te præsentem, Apostolum deducere potuit in tantam perditionem ; quam ego mihi securitatem promittam ? Si te S. Petrus negavit, quòd nimium de se confideret ; quid me fiet, si tu curam infirmitatis meæ non suscipias ? Humilia me, Domine, & uni me tibi, bone Jesu ! quia sine peculiari gratiâ tuâ semper maneo idem, qui te facillè amitto ac desero : & quando me puto securiorem, tunc agito majores proditiones, & infideliorem ostendo me amoris & gratiæ, quam exhibes mihi.

*Judas vilipendit se-
sum.*

IV. Miror Judam, qui ad eò pro nihilo duxit te amittere, ut sine omni verecundia te per osculum pacis & amicitie proderet, omnique amore & affectione tui amisâ te venderet, paucos argenteos habere volens magis, quàm te, in quo sunt summæ divitiæ : & ego me ipsum non respicio : quoties enim finxi, & rebus tuis usus fui pro medio consequendi, quod volebam, & satisfaciendi cupiditatibus meis ? quoties, cum abundarem gratiis tuis, eas permutavi cum vilissima delectatione terrena ? quoties malui gaudere hominum favore, quàm tuo Divino consortio ? quoties proditor fui, te vendendo pro abominationibus, quas vides in hoc misero meo corde, non auscultans Divinis tuis inspirationibus, neque doctrinæ tuæ, quam legebam, intelligebam, credebam ; neque gratiis tuis, quas accipiebam identidem ? ô infinita misericordia ! ignosce mihi, posteaquam necdum satis coram te erubesco, quantum exigerent mea peccata & proditiones. An tibi fortè non satis est unus Judas, Deus meus, ut me quoque sodalem ejus habere velis ?

*Agnitio
propria per-
fida.*

V. Revertor ad te, Deus meus, & sincerus amicus meus ! & abjicio me hîc ad sacratissimos pedes tuos, agnoscens omnem perfidiam & insinceritatem meam, quâ te tractavi. Ignosce mihi, Domine, & satisfac tibi de me, sicut placet ; modò ne sinas amorem tuum cum Juda amittere, posteaquam revertor ad te. Recordare, Domine, quantum feceris ad emolliendum cor Judæ ; quantum frustra laboraveris, & ejus perditione dolueris. Ergo, Domine,

mine, eundem amorem, qui non est particularis, sed generalis erga omnes peccatores, ostende mihi jam, cum ad te venio, me tibi configno, me reum sisto. Tædet me esse, qualis sum: tracta & forma me, ut vis; modò cum misericordia me recipias in amicitiam tuam: quamvis fuerim, Domine, inter proditores, reponere me in numero verè converforum. Amor tuus triumphat convertendo peccatores, & ex proditoribus fideles faciendo, ex inimicis amicos. Convertite me ad te, bone Jesu! & fac me sincerum & fidelem amicum usque ad mortem.

VI. O amor animæ meæ! quomodo tantum permisisti Judæ, ut te veluti mancipium posset vendere? tantum haberet potestatis in te, ut posset te tractare talibus modis? ô bonitatem! ô verum amorem: Ita es tu, bone Jesu! ita totum te tradis: ita monstras te esse verum amicum animæ, ut, cum te illi tradideris, permittas te ab illa tractari, sicut vult. Infelix est ille, qui te uti non scit, quique te fugat à se. Felix ille, qui te amplectitur, ac tenet pro unico suo thesauro. O si tu scires, Juda, fœnerari cum hoc Domino sine pecunia! noli timere Judæos: illum trade mihi, ego emam eum, ut mittam in hanc animam, ei serviam, eum adorem in ipsa. Quomodo, mi bone Jesu! non aceurro cum toto amore, totâ animâ, totâ voluntate meâ, quando hæc video? non vis me aliquid habere, quod magis meum sit, quàm tu, qui es omne bonum meum. Tu meus pater es, meus frater, meus amicus, meus thesaurus, meus cibus & servus: quo jure & modo homines aliquid habent pro suo, eodem titulo tu vis esse meus: ô quàm te sum dives, mi bone Jesu! tu es unus, & servis mihi pro omnibus rebus. Accepto te, bone Jesu! pro omni meo bono: amplector te pro unico meo thesauro: & volo te habere pro tota beatitudine mea; & amodò abrenuntio omnibus rebus humanis. Cui tu, vita animæ meæ, non sufficis, quid amplius desiderat? aut quid ei sufficiet? infirma, imò jam perdita est anima, quæ te contenta non est. Tu es unicum & singulare meum bonum, unicus opulentissimus thesaurus, unica beatitudo mea. Tecum sum dives, sine te pauper: tecum abundo rebus omnibus, sine te mihi defunt omnia. Veni, bone Jesu! in hanc animam; diligamus nos, & possideamus nos

semper, sine separatione unius ab altero, regna tu in me, & ego vivam semper in te, o totum bonum meum, beatitudo mea, amantissime Jesu!

*IESVS ami-
cus fidelis.*

VII. O Fidelissime amice animæ meæ! tu scis, id, quod plurimum impedit conversationem tuam, amicitiam & secretos favores, quos exhibes animabus, esse inordinatum affectum erga amicos, quando cor multum occupatur cum ipsis, & quia tu solus vis esse amicus animarum, permittis, ut, quando se plenè convertunt ad te, inveniunt amicos, nec illos sinceros. Quantum affligat infidelitas amicorum, tu scis; & quomodo capiant animos fideles amici, scis etiam. Jubes ergo, ut ego sim quidem sincerus erga omnes; tibi verò soli adhæream, in te solo spem reponam, solum habeam te amicum sincerissimum. Idem volo ego, Deus meus! idem desidero, sed posteaquam tu subiisti malum infidelis & falsi amici; da vires huic infirmæ naturæ, ut possim sufferre id ipsum; & ne nimius affectus erga homines me decipiat, nec infidelitas eorum me dejiciat.

*pro quo dul-
ce est pati
quoslibet
inimicos.*

VIII. Si vis, ut omnes me averterentur, & persequantur; fiat voluntas tua, & da, ut velim id etiam. Posside tu cor meum: ostende mihi Divinam faciem tuam: capiat me amicitia tua: doce me non lamentari: doce me non ulcisci, nec reddere malum pro malo; sed pro amicis habere, qui se mihi exhibent infideles, & infinceros amicos. Fac me, Domine, tibi consimilem, & ut hoc mihi sit satis. Nam quomodo volo ego, Deus meus! ut omnes mihi sint amici, & mecum fideliter agant? quomodo audeo queri, quod mihi fideles non sint; quando in mensa tua proditorem habes, & eum vocas amicum, dum te tradit in manus tuorum inimicorum? o mi sincerissime amice! tua, solius amicitia est vera: pro illa do, resigno alia omnia. Aufer à meo corde omnem amorem, & odium, quo à tua conversatione impediatur. O lux Divina, o auctor veritatum supernarum! aperi oculos hujus animæ cæcæ: fac me cognoscere illum statum felicem, quo in persecutione, oblivione & contemptu omnium, anima libera ab omni re possit extendere brachia & amorem, tibi que uniri ac dicere multa cum fiducia: Pater meus, Deus meus, & unicus amor meus! O felicem horam illam!

o si

ô si statim adveniat ! ô si omnem vitam in hoc amplexu , & in hoc amore consumam ! Doleat tibi , Domine , perditio ac cæcitas hujus animæ tam ab illo remotæ , ô amor meus , ac spes mea !

Regina Angelorum , ancilla fidelis , & amatrix sincera hujus Domini , mater & refugium peccatorum ! impetra mihi amicitiam ejus , & ab alia quacunque me remove. O Palatini cæli , qui solo amore hujus Domini vivitis , & ordinatè in eo diligitis omnia , impetrate mihi beata hæc vincula , quibus amori ejus semper adstricti tenemini. Amen.

Æ R V M N A - X X V I I I .

Captivitas Domini nostri.

I.

Rimum malum , quod simulata amicitia Judæ ^{Judas ex} Domino creavit , fuit ejus indigna & injusta captivitas : ^{Apostolo} in qua se proditor gessit pro duce ; ut qui timorem ^{proditor,} Dei & pudorem animo jam ejecerat. Neque adeo mirum est , Apostolum brevi in tam enormia prolapsum esse , cum à Deo sponte recesserit : quia usus docet , non esse pejores in mundo , quàm qui defecerunt à fide Catholica , frena laxando vitiis ; vel ^{omnium} deseruerunt perfectionem vitæ Evangelicæ , reversi ad profanam , ^{hpostata-} cui priùs renunciaverant. Omnes hi vexilla Judæ sequuntur , ut qui ^{rum ante-} sprætâ domo & servitio Dei , respuentes fontem aquæ vivæ , os ad- ^{signanus} movent putidis & venenatis aquis carnis , mundi , sathanæ. Magis admirandum , quòd non patrent majora. Sanè , si dux eorum Judas , clausis oculis ad lucem Divinam , & obturatis auribus ad verba vitæ aternæ , perditòque amore Dei , se mancipavit semel diabolo ; quid magnum est , ex Apostolo intra paucas horas evasisse proditorum , ac ducem lictorum ad capiendum Christum , cum monitis eum ducendi cautè , ne elaberetur è manibus ? Bonum est , cor tenere firmum in servitio Dei , magna cum diligentia , vigilantia & cautela : quia , si receperit libertatem , parùm profecerit , amiseritque pudorem ; non sustinet ampliùs esse ligatum . neque ampliùs timet frenum ; sed ad omne malum ruit cum tanta furia , ut sola Dei